



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

De Accidia vitanda. Cap. XVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](#)

Eius sororem esse detractionem, vitium grauiſſimū; quoꝝ oratorio quodam modo peius esse dixit sanctus Chrysostomus, quām corpus occidere. occidit enim detractor, & quasi dilaniat famam; quā pluris est facienda, quām vita.

De Luxuria. Cap. XIII.

**D**E Luxuria pluribus dicat, ad imere vsum rationis, homines belluas efficere; eius comites esse pœnitentiam & infamiam, esse plerunque pœnam peccati.

De vitanda Gula. Cap. XIV.

**D**E vitio Gulae, quā est inordinatus appetitus cibi, cūm dixerit, inculcat edendum, vt viuamus; non viuendum, vt edamus: paucis minimisq; contentam esse naturam: plures iugulasse gulam, quām gladium: saturitatem fame peiores, vt sanctus probat Chrysostomus: gulam matrem incontinentia, et altricem ægritudinum, ac multarum misericordiarum esse. Acrius reprehendet pauperes, qui gula indulgentes, rem familiarem minuunt.

De vitanda Ira. Cap. XV.

**I**RAM vitandam probabit, quia est comes stultiae, inimica consilij, mater pœnitentiae, nutrix iurgiorum, inimicitiarum, & variarum calamitatum: audienda illa verba beatis Augustini: Volo vos irasci, vt non peccetis: vt autē non peccetis, quibus debetis irasci, nisi vobis? quid est enim homo pœnitens, nisi homo sibi iratus?

De Accidia vitanda. Cap. XVI.

**C**VM verò de Accidia vitanda sermonem habebit Ecclesiasticus orator, eam originem vitiorum nominabit,

minabit, pusillanimus, atq; etiam malitia & magistrum:  
eos, qui hoc laborant vitio, indignos esse nomine homi-  
nis; cum ad agendum, & contemplandum, ac etiam ad  
laborem procreatis simus: nihil magis studere satanam,  
quam ut animas otiosas inueniat, eas ut in suam tyranni-  
dem redigat.

## De vitandis peccatis alienis.

Cap. XVII.

**C**O M M E M O R A B I T sèpè maximè fugienda  
vilia peccata, quæ aliena vocantur: propriea, quòd,  
cum ab alijs committantur, nobis etiam nocent: quoniam  
aliqua ratione illis communicamus. Porrò communicant  
peccatis alienis homines, consilio, iussione, consensu, irri-  
tatione, laudatione, siue adulazione, reticètia, conniven-  
tia, rei alienæ participatione, prava facti defensione.  
Peccant consilio, qui alicuius sceleris committendi sunt  
vel auctores, consultores, vel ministri, ut fuit Achytophel:  
quo improbo & infelici consiliario Absalom in patrem  
coniurando, usus est. Consilio peccant, qui in perniciosa  
arte versantur, hortantes homines ad singulare certa-  
men, ad vltiscendas iniurias; cum nulla possit esse nobi-  
lior victoria, quam seipsum vincere: eadem ratione pec-  
cant, qui hortantur alios ad libidinem, ut lenones, vilis-  
simum hominum genus. Iussione peccauit David, homo  
alias secundum cor Dei, cum iussit Uriam interfici, ut eius  
vxore potiretur. Consensu peccauit Pilatus in nece Do-  
mini nostri I E S V C H R I S T I. Peccant innumerabi-  
les homines, putates, quia ipsi à peccatis se abstinent, et si  
alijs consentiant peccatis, minimè peccare. Quare illæ  
audiuntur voces: Sua res agitur, nihil ad me, ipse viderit.

C 2

Doce-